

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE INSANIA;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Cradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES TWYNAM,

Anglus,

COLLEG. REG. LOND. CHIRURG. SOCIUS.

"Canst thou not minister to a mind diseased?"

SHAKSPEARE,

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT J. CLARKE ET SOCII.

M.DCCC.XXVII.

PATRI SUO DILECTO, AMICOQUE OPTIMO,

HENRICO TWYNAM,

DE BISHOP STOKE IN COMITATU HANTONIENSI,

ARMIGERO,

NECNON

VIRO SPECTATISSIMO CHIRURGOQUE PERITISSIMO

GILES KING LYFORD, ARMIGERO,

IN NOSOCOM. WINTON. PER ANNOS XL. CHIRURG. PRIM.

Non minus scientia quam virtutibus ornato, sub cujus auspiciis

ad Medicinae Studium primum incubui,

HOC OPUSCULUM

AMICITIAE ANIMIQUE HAUD INGRATI PROPTER PLURIMA

BENEFICIA IN SE BENIGNISSIME COLLATA

PERTENUE TESTIMONIUM

D. D. D.QUE

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE INSANIA.

AUCTORE JOANNE TWYNAM.

NULLUS cui genus humanum obnoxium est
morbus, tam multum nostram movet commiserationem
quam qui ex privatione animi virium
constat, quibus imperantur propensiones nostrae,
quibusque cum societate relationes conservantur.
Et vere dicatur, nullum esse morbum,
qui tam parvam explicationem a medicis recepit;
et minimè mirum est, dum animadvertamus,
plerosque eorum nisi nuperrimè, aut administrationi
hominum artis medicae indoctorum,
aut curationi medicorum, illos aequè empiricè
et secrete tractare propensorum subjectos
esse. Rarissime accidit, hunc morbum
medicis ordinariis per totam progressionem
tractandi occasionem praebere, et illi tantum,
quicquid Hospitium Insanorum optimum et
pretii minoris esset, consilium dare occupati
sunt. Ab hujus morbi abductione in universum
a medicorum observatione, imperitia aliùs
et aversatione alterius partis horum, qui occasionem
idoneam naturam ejus perscrutandi
habent, oritur, tam pauca opera practica de
Insania, tamque multum parcius perfectam
esse, pro rata parte, aliis morbis, ab investigationibus
nuper in omnium fere morborum Physiologia
atque Pathologia factis.

Consuetudo habendi eum, temporis magnum
per spatium, animi morbum tantum itaque
scientiis abstrusis metaphysicis commiscendi,
praeterea obscuritati ejus contribuit; nam loco
observationis accuratae de morbi natura, disquisitiones
contemplativas de animi facultatibus
invenimus. In hoc tentamine has quam
maxime evitare, et ad morbi phaenomena nosmetipsos
limitare proponimus.

De Definitione, &c. -- Verbum Insania satis
intelligitur et sub denominationibus Vesania;
Delirio, Folie ou Alienation Mentale, et
Lunacy, auctoribus designata est; sed occurrit
tam diversis formis atque signa characteristica
tam diversa sunt, ut omnes fere auctores
illam definiendo discrepavere.

Ab veterum plerisque Mania et Melancholia
esse gradus alia alius credebantur, et ab Phrenitide,
febre absente, dignoscebantur; et maniam
furibundam inter et tristitiam melancholicam
signa diagnostica fere eadem fuerunt, his nosologicis
in nostro tempore selectis : " Respondemus
varios esse melancholiae gradus et
varias humoris melancholici cum aliis humoribus
permixtiones, indique maximam deliriorum
varietatem emergere et maniam furibundam
producere." V. Riverii Prax. Med.

L. 1, c. xiv. V. quoque GALEN et ARETEUS.

Illus. CULLENUS in ejus Nosologia veterum
notiones consecutus est et Vesaniae ordinem
in Amentiam, Maniam, Melancholiam et Oneirodyniam
divisit.

Post illum, multi auctores, intra hos vigintos
annos, Insaniae nosologicam ordinem deducere
conati sunt, sed quam parum prospere opera demonstrant.

Dr. ARNOLD opus elaboratum de
his morbis in 1806 edidit, et in eo Genus in
"Ideas et Notiones," secundam contemplationes
LOCKE et HARTLEY institutas, divisit, et Species
multas recensuit, et nomen specificum omnibus
fere symptomatorum varietatibus assignavit.

Prof. PINEL quoque opusculum practicum in
Gallia edidit, (quod nuper ab discipulo suo EsQUIROL
illustratum est,) quo in quatuor Genera
Insaniam distribuit, et ut ab Anglis plurimis falsè
interpretatum estin verbis suis transcribemus: --

“I. MANIE, ou delire general marqué de plus
ou moins d'agitation, d'irascibilité ou de penchant
à la fureur, et designé Manie Periodique
ou continuel.

II. MELANCHOLIE, (Monomanie,) ou Delire
"exclusif dirigé sur un objet, ou un serie particulier
des objets avec abattement, morosité
et plus ou moins de penchant au desespoir.

III. DEMENCE, ou abolition de la pensée,
debilité particulier des operations de l'entendement
et des actes de la volonté.

IV. IDIOTISME, ou obliteration des facultes
intellectuels et affectives."

(Vide PINEL, p. 138. Ed. 1809.)

Appellatio, Monomania, ut magis distinctè
Melancholiam ab re unica orientem designans,
ab ESQUIROL in usum illata fuit et Melancholiae
speciem constat bene descriptam.

Genus Dementia, quod illi CULLENI ordini
adjunxere, classem Insanorum bene definitam
componeret, praesertim si Medici de ejus signis
characteristicis concurrerent.

Dom. DUFOUR et FALRET, Hypochondriasin
sub Insaniae ordine, sed fortasse parum justè,
collocaverunt.

Tamen alia species est, ubi aeger aliquo subito
paroxysmo, Suicidium vel Homicidium perpetravit,
quae medicorum attentionis non satis
recepit, itaque de his pauca dicere statuimus.

Suicidium indubite est factum hominis sub
Maniae paroxysmo laborantis, et quoque plurima
Homicidia, quae, nobiscum adhuc caedes
habentur. Eadem symptomata, eadem causae
praedisponentes et excitantes praesertim animi
fervores, eadem post mortem extispicia, quam
in aliis Insanis observantur.

Haec plerumque proveniunt ab aegro ita affecto, ut animi vires dominantes sunt impatientes repugnandi ad quasdam actiones impulsus, quarum peractionem, alio tempore, idem multum horreret. Hae certe sunt effectus quarundam cerebri functionum laesionum, pro quibus societati rationem reddendi non magis obnoxius habeatur, quam alii Maniaci vel Melancholici qui negligentia similariter agere permissi sunt.

Leges de Suicidio quae per tam multos annos polluerunt, quam statutis nostris opprobrium, nuper quasi inefficaces abrogatae sunt, et ulterius de Homicidio maniaco permutationem, ab medicorum testimoniis originem ducentem, perfici necesse est. Sed inter hos insanientes et qui caedem deliberatè et malitiosè perpetraverunt, discriminare valde difficile est.

Insania autem vicissim his variis formis induta est, et in ejusdem morbi progressu, variis hominibus et iisdem variis temporibus, saepe alternae et inter sese complicatae sunt. Et haec dispositio, quosdam auctores omnigenos Nosologiae ordines rejicere et unum morbum sub diversis formis tantùm contemplari induxit.

Saepe etiam formam Intermittentem, Remittentem vel secundum periodos assumit.

De Origine et Signis. -- Depingendo originem et symptomata hujus morbi, nobis proemiandum est, quosque homines animo corporeque aliquid sibi proprium habuisse, quod illos ab aliis pariter naturae discriminat, constituens ingenii singularitatem quod, Anglice, dicitur Idiosyncrasy. Aliquid hujus generis adesse, cujusque fere insani aberrationibus, inventum est, statuimus autem generalia tantum morbi signa seu indicia supervenientia describere ut fiant manifesta.

Insaniae symptomata aliquando observantur gradatim invadere, et esse sollicitudo et inhabilitas attentionem ad aliquid stabiliter applicandi, corporis perturbati et abnormes motus, omissio officii fungendi quae antea punctualiter peragebantur, subitae sententiae mutationes, cogitationum rapidae successiones, loquacitas permagna vel perpetua taciturnitas, prompta determinatio, pervicacia, animi irritabilitas, sine justa causa suspicio, sermonis maledici atque actionum obscaenarum usus, superbia, reprehensionis contemptus, oppositionis impatientia, morositas, inquietudo et vigilia, tristitia vel hilaritas magna cum discessione animi pro re nata. Et revera omnes fere actiones quaedam signa insueta vel irregularitatem peractionis habere, observantur.

Amicitiae eorum ferventer et profusè, inimicitiae cum detestatione atque fastidiosè, protestantur, contentiosi pugnandique cupidi fiunt obinurias quas ab amicis sustenuisse excogitant. Sonos vel voces ab coelo, infero, et undiquaque, sussurrosque audire, conspirationes nunquam factas suspicere, causas quas ipsi solum concèpère, attribuere incipiunt. Tranquillitas somni somniis horridis, Incubis, cordisque palpitationibus perturbatur. Tandem cogitationum successiones tam rapidae fiunt, ut aeger illas in ordine componere omnino non potest, animusque ejus ita agitatus evenit, ut nullum imperium in insolitas sententiarum actionumque representationes sustineri potest. Necessitudo eos secludendi et diligenter custodiendi, apud omnes constat, nam sub paroxysmo maniaco evidenter laborant.

Accessio aliquando ostenditur, ingenii praeter naturam sublimitate, et qui antea abstinens, taciturnus, et ab oculis hominum remotus fuit subito ebrius, in deum contumeliosus et clamosus evadit, et mores vere, animi magnam commotionem demonstrant. Nihilominus congruens est, et nisi eum minutè et continuè vigiles, suspicionem, illum imaginare res existere quae vere non, et illi quam aliis diversas apparere, non haberes.

Alii impulsu animi pathematum deprimentium
symptomata omnino diversa manifestant.
Vultus sollicitus, et spe dejectus, videtur, austerus
et voluntate abditus, et retrusus est, societatum
comitum antea familiarium evitat, hominum
congressus fugit, et aliquando totum
fere per diem lecto decumbit, oculi in aliquo
vel vacuo, longo pro tempore, fixi et intensi
sunt; saepe, se aliquid criminis vel morum improbitatis
commisisse, arbitratur, pro quibus
poena minatur, multaque alia cerebri figmenta
illi sunt timoribus et anxietatibus. -- Pavores religiosi
et conscii animi cruciatus, illi solitudinis
origo abundans, fiunt. Haec indicia in
aegris melancholicis plerumque manifestantur.

Aliquando autem, valde subito et quasi nulla
causa accedere, observatur Insania; praesertim
ut in homicidiis et suicidiis praecipue notetur.

Morbo confirmato, perturbatio vel infirmitas
praevalens se manifesta habet, alii se Demonibus
et Magis sceleratis persecutos esse; alii membra
ex vitro formata esse et agunt quasi realiter
ita essent; alii se duces, alii reges, alii deos ipsos
esse credant.

Atque corporis functiones, pro rata parte, non tam multum perturbantur, quam ab mentis excitatione expectaremus. Pulsus et respiratio plerumque naturales sed aliquando paulum celeriores sunt, in statu maximè furioso, alvus saepe adstricta atque cibo appetitus valde varius est; urinae et perspiratio multum mutantur et interdum odorem obnoxium habent. Sed nulla adest febris, neque e dolor, neque constitutionis turbatio permagna.

De Cerebro ejusque Pathologia. In tractationibus de hoc morbo a generali mentis facultatum Imaginationis, Memoriae, Judicandi, &c. descriptione incipere, consuetudo confirmata fuit; in hoc autem tentamine pauca de cerebri structurâ ejusque physiologia, et pathologia submittemus. Cerebrum dicitur semper calvarium complere, et ejus structura medullaris ut nuper apud anatomicos agnoscitur, fibrosa est; habet etiam pulsationes, quomodo autem productae sunt, adhuc non satis recte demonstratur, sed ut magni momenti sunt in cerebri functionum gubernando, firma nobis fides est.

Sanguinis in cerebro circuitus ab ullis corporis organis multum diversus est; quantitas ad id missa, amplior est, ad sextam partem sanguinis totius corporis aestimata. Membranis haud aliter ac abdominis et Thoracis viscera, implicata. Sed ullos nervos in ejus membranis dispertiri, nondum demonstratum est, tamen illos adesse, a dolore interno, inflammatione et aliorum morborum metastisi juste inferatur.

Dr. MAJENDIE etiam nuper demonstravit semiunciam ad uncias duas fluidi inter meninges et ad imam medullae spinalis partem extendentes, contineri.

Cerebri cava vel ventriculi notatione digni sunt; inter se ventriculi laterales apud foramen MONROIANUM cum quarto vel cerebelli ventriculo ad calami scriptorii punctum, communicant, atque circiter semidrachmam ad drachmas duas fluidi in sano corporis statu continent. Cur igitur? Inter structuram ejus fibrosam, ventriculos, fluidamque in eos contentam non existeret actio consentanea, unum in altero, ex qua multae ejus functiones et earum modificationes, in statu sano morbidove mutuo se inferunt? Encephali functiones consistunt insensibus ab aliis corporis partibus internis, et sensibus externis, recipiendo, illosque revocando et in ordine distribuendo. Multum de cerebri structura functionibusque demum reconditum est.

Historiam, cadaverum sectionum tam remisse et imperfectè traditam esse, valde lamentabile est; nihilominus inspectiones, quae adhuc recordatae sunt, has tenues structuras plus minusve in statu morbido fuisse plerumque demonstrant. Tamen structuras laesas in omni exemplo invenire non expectemus, nam Insania functionum tantùm vitium habenda est, et in aliis morbis inorganicis, corporis structuram mutatam non invenimus.

Mutationes morbidae frequentissimè observatae, sunt effusio aquosa aut in ventriculos cerebri, aut inter meninges, cerebrum ipsum aut durius aut mollius praeter naturam, meninges opacitate calloque obductae et interdum partem in ossa conversae, et vasa plus minusve turgida cum punctis cerebro transversè secato sanguineis.

GREDDING qui multas occasiones habuit cadavera secandi, 216 exempla nobis tradidit, quorum in 162 piam matrem densatam vel aliter morbo mutatam invenit; in 120 aquam inter membranas; in 118 cerebrum praeter solitum molle, et in 167, crania densissima et reliqua plerumque tenuissima fuisse. Haec etiam BONETUS, MORGAGNI, et alii notaverunt. Sed inquisitiones eorum ad viscera thoracis abdominisque non prolatas esse semper moleste ferendum. A Doctore CHEYNE narratur, Hepar in 400 casibus inspectis in statu morbido inventum esse. Dr. HASLAM 37 exempla cadaverum sectorum dedit, in omnibus quorum cerebrum membranaeque morbi signa similia tulerunt. Sed fortasse mutationes morbiae, ab anatomicis traditae quam effectus potiùs illius status cerebri, quo facultates animi turbantur, habeantur.

De Causis. Inter causas quae praedisponentes dicuntur, ista cerebi functio peculiaris, quoad susceptionem et facultatem voluntatis gubernandae pertinet, quae notatione in multis hominibus digna est, et a patre ad filium proditur, itaque vocatur haereditaria, imprimis enumeretur.

A qua observetur nullum alium morbum magis evidenter pendere, si enim una generatio caret in succedente plerumque apparet, et igitur in Prognosi et ea relatione cum societate summi momenti, Matrimonio, multum contemplare, oportet. Alia autem causa est, quae nobis aequae crebra videtur, et multis auctoribus omnino praetermissa fuit, et quae ex continua et pertinace laesione harum functionum, cerebro per magnum genus nervosum sympatheticum junctarum, constat. Ista vitiata cerebri sensuum et igitur virium motûs voluntarii conditio, quae notatur ubicunque viscera chylopoietica multum in eorum officiis fungendo, perturbantur, perspicue, quam minute alii ab aliis pendentes sunt, demonstrat; a quo penè a priori inferremus, ut hisce in casibus, ubi cerebrum est morbi situs, id pergraviter horum organorum conditione afficiatur.

Ingeniosus J. ABERNETHY in lecturis suis et variis opusculis chirurgicis plene confirmavit, quam efficaciter multi morbi locales his laesionibus, (et aliorum observationibus alii morbi et praesertim hi, de quibus nunc tractatur,) non minus extensè afficiuntur. Ergo hujus morbi causas contemplando, observatio diligens et investigatio faciendae sunt de harum functionum conditione et affectionibus in aegri sensus et actiones antequam morbus plane confirmatus est, ut, an haec vere et indubitanter quam insaniae causas operantes fuisse, stabiliamus. Debilitas a quacunque origine inducta his laesionibus frequenter adjuvat, illisque conjuncta valida animi vestigia et diu continuata procreant, quae actionem quarumvis sequentium, plus strenue excitantium causarum, promovent; ex. gr. spei religiosae abjectionis, amoris vel ambitionis frustratae, meditationis assiduae, propensitatis ad venerem contradictae, veneris solitariae, paupertatis pavoris, rei adversae et prosperae, ebrietatis frequente usu contractae, febrium, quibus cerebrum multum perturbatur, subitae mutationis nervorum et vasorum virium in statu parturiendi, eruptionis retrocessae vel alicujus morbi metastatici, secretionum assuetarum suppressionis, Solis caloris vehementis, visque externae capiti admotae. Sed multum ab corporis sanis officiis perfungendo pendere, nemini dubitandum est, qui horum morborum ullius progressum et exitum faustum annotavit. Hi morbi

multum Tempestatum et Regionum varietatibus,
vitae genere, et potissimum variis magnis excitationibus
politicis, moralibus et theologicis afficiuntur,
quam nuper inter Galliae rerum publicarum
vicissitudinem, quum publica Insanorum
Hospitia ullo alio tempore plus coarctabantur.

Variae quoque animi affectiones valde excitatae
in aegro praedisposito, creberrimae causae #
fiunt, imprimis ad Suicidium vel Homicidium
tendentes. "ZIMMERMAN in Tract. de
Med. Experientia, tria diversa maniacorum
genera, scilicet hominum a superbia, puellarum
amore, et muliebrum zelotypiâ enumeravit."

De Causa Proxima. -- De intima natura
hujus morbi perobscuri, adhuc fere omnino
nescii sumus; quidam eam explicare, mentis
tantum morbum esse, et minime a corporis
statu pendere opinantes conati sunt. Ego
parum ambagium metaphysicae investigationis
peritus sum, sed opinor, ut his Philosophis
Insaniam per artem logicam solam sanare
valde difficile esset.

Dissectiones post mortem diversas structuras
cerebri ejusque appendicum, morbo interdum
corrumpi, plenè demonstrant. Haec vel causae
vel effectus vel tantùm concomitantia sint,
sed sine dubio docent, harum partium functiones
parum valide perfectas esse, et ergo
justé inferramus, ut, dum in his partibus hae actiones
laesae progredientur, functiones cerebri
ipsius quoque commotae sint; et ex hoc morbi
naturam vel proximam causam in plurimis exemplis
consistere, credimus.

Aliquando autem nihil inveniatur, et tunc Insaniam
morbum plerumque cerebri functionum
habeamus, modò ab causis physicis patefactis
orientem, mòdo cerebri cum visceribus chylopoieticis
consensu ubi longo pro tempore actione
vitiata sunt, mòdo animi fervorum excitatione
abnormi, in eis nec eruditis nec eam resistere
assuefactis. Multi actionis laesae gradus in cerebro,
aeque ac in aliis corporis organis occurrant,
quibus functiones perturbantur (ut in organis
excernentibus videmus secretiones depravatas)
et qui non ab pulsu vel aliis signis conspicuis
cerni possunt.

Sed nobis eam aut ad gradus excessum vel
defectum, aut ad istae conditionis morbidae
ab regula ordinis declinationem, ab quibus Insania
proxime pendet, reducere satis erit.

De Prognosi.-Hoc morbo, Prognosis, a deliberatione
circumspecta de omnibus signis impetum
specialem comitantibus, vel horum priore
experientia in impetibus similibus, aut hominum
ipsorum impetu repetito, aut aliorum
simili conditione, comparatione deducenda est;
necnon ab impetus duratione et frequentia,
causis peculiaribus excitantibus, aegri aetate,
sexu, corporis temperamento, ejusque habitu
haereditario, statu valetudinis generali, aliorum
morborum eodem tempore praesentium naturâ.

Atque prognosis his morbis, casibus vel temporibus duobus, de quibus plerumque medicus sententiam dare vocatur, referenda est; scilicet, paroxysmi proprii duratione, vel terminatione probabili, et desinendi faustè vel fataliter vel ad Dementiam proclivitate.

Exitus propitius, his casibus ubi paroxysmus natura variabilis est, utrum vehemens vel maestus, praedicetur, et notatur semper ejus impetu et progressu non unius formae esse. Ubi aeger temperatione sanguineus, eventus probabiliter multum felicius erit, quam si leucophlegmaticum seu melancholicum esse videtur; aut quam si paroxysmus ab functionum vitalium statu perturbato pendere, aut originem ab suppressa effusione haemorrhoea vel purulenta assueta, ducere videtur. Impropitius, ubi paroxysmus diuturnus est, aut frequenter et periodice regreditur, aut oriri imprimis ab animi impressionibus videtur, aut omnino malis corporeis non connexus, praesagiatur. Casus tamen desperatissimi sunt, quibus propensio matura et haereditaria observatur, aut quibus Dementia impetibus Maniae periodicis succedit.

De Diagnosi.-- Insaniam a Phrenitide, Delirio, Ebrietate, medicamenti ullius torpefaciendi vim habentis effectibus, Hypochondriasi, Epilepsia distingui necesse est.

Ab Phrenitide et Delirio prompte pulsus celeritate et validitate auctis, pyrexia vehementi, capitis dolore, vultus suffusione, lucis et soni impatientiâ, functionum corporis caeterarum perturbatione. In Mania horum signorum pauca raro, nulla saepe adsunt.

Ab Ebrietate, paroxysmi, duratione satis discriminari potest, ubi spirituum effectus subsidere, nam qui antea gesticulationes et actiones maniaci omnes ostendit, post somnum placidum tranquillus, et ad rationem revocatus est.

Venena narcotica multos cerebri effectus signis maniae assimilatos exhibent, at rerum relatio plerumque ad quaedam signa nos dirigere praestat, quae cum vomendi et dormiendi cupiditate quae nos Diagnosin accuratam formare adjuvabunt.

Ab Hypochondriasi quam ab ullo alio morbo eam distinguere multo magis difficile est, nam Melancholiae et Hypochondriasi tam multa signa inter se communia sunt, ut aliam alterius modificationem esse, credere inducti sumus. III. CULLENUS Dyspepsiam adesse in hoc morbo, eumque Melancholia discriminare demonstravit; sed functiones laesae chylopoieticae, melancholiae symptomata fere constantia esse observantur. Opiniones falsae et depravatae diversis causis praesertim a salutis conditione excitatae, ad Hypochondriacos pertinent, sed morbi natura omnino mutatur, si aliquid ab his opinionibus pendens factum est. Spectra his saepe patefacta sunt, et quasi vera describantur,

"False creations proceeding from the heat-oppressed brain,"

et si in his fidem firmam et perfectam reponant, et perceptionem tantum falli discernere non possunt, et haec fides physiologicè considerata, naturam morbi sine dubio notabit, et igitur compos mentis non habendus est. Parvum abesse videtur, ut Hypochondriasis Insaniam constituat, nisi plus propensionis praedisponentis, minusve in cerebro vis efficaciae, ad sensus deprimentès ab corporis functionum perturbatione procreatos, obsistendum.

Distinguere inter quasdam Phantasmas, fama
vitaque eccentricitatem, numinis afflatum
nimium, sanam mentem ad imbecillitatem etiam
accedentem, et Insaniam, difficillimum est.

De modo Tractandi. - Opinio, Insaniam morbum
mentis solùm et immedicabilem fuisse, his
miseris plus calamitatis intulit, quam concipi
potest. Illorum conditio extra medicamentorum
potestatem existimata fuit; et Amici et Medicus
eos in vincula et coercionem conjiciendi
consenserunt, et quod saepe priusquam morbus
temporarius nunc permanens fit. In receptaculis
coarctabantur, ubi frequenter crudelissime
tractabantur, et vere omnibus privationibus et
excitationibus illorum conditionem plus exasperare
quam allevare pertinentibus, expositi sunt.
Haec fortunate nunc solum recordantur nam
tantum fuit malum ut lex interposita fuit, et
nunc multa Insanorum Hospitia publica instituuntur,
ubi omnis attentio medicorum et mi-
nistrorum ad illorum solatium adhibetur. Et
hunc morbum si bene geratur, aliqua ex parte
esse sanabilem, confirmatur, testatione publicâ
A. D. 1826, promulgatâ, ut in nonis Angliæ
Comitatibus ubi Hospitia condita fuere, ex numero
3857 aegrorum admissorum, 1550 ad sanitatem
redditi fuerunt. Tabulae nuper Doctore
BURROWS editae quoque aliud argumentum
pro hoc praebent.

Modus medendi in medicalem et moralem

dividi potest, et ut prior apud morbi accessionem
praecipuè applicatur, primò de remediis
usitatissimis, dein administratione morali tractare
statuimus. Itaque in paroxysmo maniaco
indicatio prima constabit, ex quocunque ad vasorum
et nervorum excitationem reducendam,
ubi evidenter in statu abnormis actionis sint, et
ad corporis equilibrium reddendum tendit; praesertim
organorum singulorum functiones imperfectas
esse, vel cerebro intimè conjunctas,
vel in id imperium habere observantur.

Regimen antiphlogisticum sub quibusdam
modificationibus adhibendo. Sanguinis detractio
in primo impetu maxime proderit, temerè
autem haud adhibenda est, sed medicum maxime
oportet cavere, ne vires aegri subito decidant.

Arteriae temporalis sectio, Hirudines vel Cucurbitulae
cruentae capiti admotae, venae sectioni
medianae multum praestant.

Medicamenta Cathartica in genere morborum
fere nullo magis valere, nam secretiones
pertinaces et diuturnas vitiatas in viam primam
effusas, summam causam praedisponentem in
plurimis casibus fuisse credimus. Aliquando
usum eorum moderatum pro tempore continuari,
et attentionem necessariam statui alvi secretionum
eorum actione ortarum dare oportet.

Consensus cerebrum inter et genus hepaticum
intimus esse diu observatus est, et ad
hunc pro attentionis defectu, apud medicos recentiores
ratio reddi non potest. Talia igitur
cathartica seligeremus, qualia aliquam actionem
specialem in Hepatis functiones habent; scilicet,
Hydr. Submis. combinationes cum Jalapa vel
Extr. Colocynth. vel Pilula Camb. Comp. aut
vespere Hydri. Submis. iv. vel v. gr. et mane
sequenti Infusi Sennae Comp. z ij vel 3 iij adhibendas.

Horum medicamentorum actionem diligenter observari opus est, quia alvus saepe in hoc morbo tam torpida esse invenitur, ut tres quatuorve solitae portiones, alvum solvere necessariae sint. Ubi intestinorum excretiones vitatae sunt, perseverare leniorum cathartorum, cum mitioribus Hydrargyri praeparationibus, usu, donec secretiones saniores aspectum assumunt, necesse erit.

Emetica.-- Ab aliis medicis usus vomitionum multum laudatus, aliis aequè reprehensus est; sed experientia maxime illorum beneficia docet nisi Diathese phlogistica, et sanguinis fluxu caput versus aucto evidenter contra-indicata. Dr. Cox eorum usus in omni fere morbi gradu, et repeti per multas vices, dum materia vitata ex ventriculo ejiciatur.

Dr. FERRIAR quoque multos casus commemorat, quibus cum fructu adhibentur, atque multum beneficium nauseae sensatione longo pro tempore promota oriri. Solutio Antimonii Tartarizati merito agnoscitur in his morbis optimum remedium esse vomitorium, et doses omni semihora repeti oportet, et quia ab aegris, qui pertinaciter medicamenta abnegant, facilius celatur. Tamen in leni et consueta morbi conditione, horum usus temerè et inconsiderate vitandus est, praesertim si ventriculi vel corporis totius debilitas adsit.

Epispastica capiti raso applicata plerumque prohibentur quod irritationem augent, nihilominus aliis remediis conjuncta, quibusdam casibus applicari oportet. Nonnunquam pari ratione quam Metastasis vel revulsio suris internis applicata sunt. Fonticula, Moxa et fricationes irritantes etiam expertae sunt, sed testimonium haud valde opportunum est, attamen in multis exemplis utilia sunt.

Thermae. Balnea calida in tractando varios hujusmodi morbos auxilium nostrum praecipuum constituent. Irritationem mitigare, corporis aequilibrium reddere, et saepe, quod maximè optatur, somnum conciliare, esse horum effectus utilissimos credebantur. Multo frequentius in Gallia quam nobis utuntur pro munditia, luxuria, morborumque curatione.

In nosocomiis Bicetre et Salpetriere consuetudo est, aegros sub tractatione ter quaterve per hebdomadam in balnea calida (ab 75 ad 90° Farht.) immergere, in quibus per duas vel quatuor horas, et etiam duodecim, vel quatuor et viginti retinere.

Sunt multi alii modi aquae et calidae et frigidae
utendae.

Balneum frigidum, ubi debilitas ab tabe dorsali
et aliis causis adsit, multum pollet, si reactio
constanter apparet; et semper secundum
Doctoris CURRIE praecepta, in opusculo de Affusionibus
frigidis, adhibetur. In quibusdam
exemplis Balneum pluviale, vel quod dicitur,
"Douche" multum prodesse inventum est, ex
quo aqua frigida ab diversis altitudinibus, summo
capito, in uno vel permultis rivis descendere
permittitur.

Lotiones frigidae, vel lintea in aqua cum
Æthere vel Alcohole mista saepe immersa, et
raso capiti gesta, dum aeger in balneo calido
vel pedes in pediluvio immergerentur, paroxysmum
semper temperant, et soporem saepe inducunt.
Omni tempore pediluvium commodè
utatur, ejusque beneficium Sinapi, Aceto vel Muriate
Sodae, additis multum augetur. De usu
balneorum vaporum medicatorum pauca testimonia
praebentur. Aqua frigida abundè
hausta, quibusdam melancholicis prodesse affirmata
est.

Narcotica. -- Symptoma in hoc morbo moestissimum est fere continua somni absentia, et infeliciter narcoticorum administrationem hanc conditionem potius aggravare quam allevare expertum est; Labor, Exercitatio, et Regimen huic conditioni obviam iri, remedia efficacissima sunt. Opium adhiberi non debet, nisi irritationem specialem vel dolorem alleviandi consilio et alvi fluxum supprimendo adjuvare. Camphora et Digitalis quam opium excitationem mitigando, somnumque conciliando multo magis laudatae sunt. Dr. DUNCAN Junt. in lecturis suis narrat, Camphoram magnis dosibus assumptam validissimos effectus in cerebri functiones, praesertim memoriae et perceptionis jacturam producer – Dr. Cox, HILL, et alii varia experimenta cum illa et acidis vegetabilibus combinatis fecerunt, multumque valere inventa sunt. -- Drs. FERRIAR et HASLAM haud aequae commendant et in Gallia vix unquam adhibetur.

Digitalis forsitan commendationis ut remedium narcoticum plus recipit quam meruit; effectus ejus diuretici et potentes in arteriarum et cordis actione e diminuenda plane confirmantur, et quantum hi pollent, salutaris erit.

Musicaet ("Machina circumvolens," de D'ARWIN)
a Doctore Cox et Dom. ODIER, Genevae,
multum commendantur imprimis vim paroxysmi
furiosi mitigando, aegrumque tractabi-
liorem reddendo.

Cinchona cum Opio et Vinum multum prosunt,
ubi morbus typum intermittentem induere
aut magna debilitas pulsu parvo et debili, appetitu
imminuto, corpore emaciato, manifeste
observatur. Hydrargyri et Ferri praeparationes,
Antispasmodica et Electricitas interdum
commendata sunt, et sine dubio exempla, sunt
quibus singula sua more sagaciter adhibita,
multam utilitatem habent.

Insanientes haud raro, aliis morbis supervenientibus
vel casibus fortuitis et ictibus capiti
illatis penitus sanati sunt. Febris Exanthematae,
Intermittentisve, et Eruptionis Chronicae,
Arthritidis, Rheumatismi et Phthisis accessio
inter hos enumeratur. Parturitio et redindegratio
profluviorum antea suppressorum, paroxysmum
maniacum quoque removerunt.

Semper in hoc morbo necessarium est,
Medicum statui intestinorum et vesicae urinariae
attentionem specialem dare, et servis
mandata, ut diligenter observent, illarum
evacuationes, propriis intervallibus peractas
esse, dare. Ægri saepe easdem haud conscié
et saepius consulto et cogitato distentas retinere
observati sunt, unde multum corporis perturbationis
derivatur.

Administratio Moralis multum ab veteribus
urgebatur, atque multa praecepta de arte maniacos
benignitate, fortitudine, et dexteritate
gubernandi, nobis ab illis prodita sunt.

Haec consistet tales regulas co-optando quales optimè aptatas ad aegrorum solatium, felicitatem, incolumitatem, et ad sanitatem instaurationem conducere arbitramur. Ordinem habitusque ad normam exactos constituere summi momenti est, aegri sine dolore vel injuria coarctati sunt, tamen statu maxime furioso manus et interdum pedes, si evitare non potest, sunt ligandae. Diaetam, quae semper facile assimilaretur, tempore statuto dare, Exercitationi quoque tempus idoneum assignare, et ad horam praescriptam requiescendi iterumque mane resurgendi adhaerere oportet. Quamvis non negatur, leniorem administrationem multam promotam esse, tamen candide agnoscendum est, illos multis rebus infelicibus, non facile superandis etiam nunc objectos esse. Difficultas ministros procurandi idoneis qualitatibus ornatos, sagacitate nimirum, benignitate, et patientia, quae ita necessaria sunt quibus continua communicatione his perversis et intractabilibus impedimentum haud levis momenti constituit.

Muneris medici pars alicujus momenti est
hos ministros docere, moderare, intenteque observare,
ut hi auctoritatis abusus praecaveantur,
qui continuae provocationi expositi tam frequenter
occurrunt. Tamen prorsus necessarium
est, auctoritatem consummatissimam, tam
lenibus modis quam exerceri potest, acquirere,
ut primus gradus ad ullam partem sequentis
tractationis dirigendam. Impossibilitate hujus
agendi, opinor, ut tam difficile Insanos domi
gubernare evadit, illi enim summum imperium
cujusque ad res suas domesticas pertinentes pos-
sidere tam longe soliti sunt, ut vix ulla auctoritas
in eos, dum ibi manent, sustineri potest,
et servis aliisque familiae sociis succumbere
obligari, saepe perpetuae irritationis origo
et causa est.

Imperio in aegri animi affectiones quoque
addenda est minuta perscrutatio de priore
nomine, ingenii facultate, et animi equitate,
atque tam multum indolis historiae, et ante, et
ad paroxysmi aditum, quam obtinere possimus.

Ut recreatio firmetur, iteratusque lapsus
praecaveatur, aegro diaetam constitutione
idoneam pro aliquo tempore praescribere,
debemus. Causae morales et physicae, quae
morbum excitavere, evitandae sunt; illumque
praemunire cibi potusque intemperantiam,
studium nimis intensum, praeter omnia
excitationes nervorum vehementes vel subitas,
opus est: Experientia docuit, quam frequenter
lapsus, aegrum citius amicis restituendo, procreati
sunt, quo priores causae omnes actionem
resumunt, antequam aegri animi illorum impetus
resistere satis stabiliuntur.

"Edidi quae potui, non ut volui, sed ut me temporis
angustiae coegerunt."

CICERO.

FINIS.